

EPISTULA LEONINA

LXXVIII

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LXXVII INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
DUODECTOGESIMAM (78) !

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam duodeoctogesimam.

*Haec autem Epistula divisa est in partes quattuor: Primo loco maximê attendas, quaeso, ad petitionem Latinitatis causâ subscriptione affirmandam: periculum enim est, ne Institutum philologiae classicae Universitatis Saraviensis ("Universität des Saarlandes") ad pecuniam parcendam aboleatur. **Nomen tuum, cara Lectrix, care Lector, quam maturrimê subscribe huic petitioni publicae, ut Latinitas Saraviensis servetur, Latinitas universa ne quid detrimenti capiat!** Opus est festinatione, nam duo tantum restant dies, quibus subscribi potest.*

Altero loco agitur de bombinis, miris amphibiis quae creduntur esse vaticina: Hac in Epistulâ praebetur prima pars seriei, cui titulus est "Historia bombinarum". Quaeris, quare tam fusê referam de tantulis bestiis? Scito Bombinam variegatam a Societate Naturae Tutandae (NABU = Naturschutzbund) appellatam esse "Bestiam Anni 2014"!

Tertio loco legas de Meleagro heroe mythico, qui aprum horribilem gloriosê superavit, sed ab ipsâ sui matre interfectus est ligno fatali.

Ultimo autem loco invenies narrationem Ferdinandi a Schirach defensoris poenalis criminalem a me in Latinum conversam.

**Pancraticê vale et perge mihi favere!
Medullitus Te salutat**

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Lunae, 21. m. Iulio a.2014

SERVA

LATINITATEM SARAVIENSEM

NOMINE TUO SUBSCRIBENDO !

Care Lector,

Universitati Saraviensi tuo auxilio opus est. Studia linguae Latinae moritura sunt.


<https://www.openpetition.de/petition/online/fuer-den-erhalt-des-fachs-latein-und-der-klassischen-philologie-an-der-universitaet-des-saarlandes>

Imo ex pectore gratias ago maximas!

Ruth Kühn

PERICULUM IN MORA:

RESTANT DUO TANTUM DIES SUBSCRIBENDI !



ΤΗΝ ΜΕΝ ΖΩΓΡΑΦΙΑΝ ΠΟΙΗΣΙΝ ΣΙΩΠΑΣΑΝ
ΤΗΝ ΔΕ ΠΟΙΗΣΙΝ ΖΩΓΡΑΦΙΑΝ ΛΑΛΟΥΣΑΝ

PICTURAM POESIN ESSE TACENTEM

POESIN PICTURAM LOQUENTEM

SIMONIDES

(557-468 a.Chr.n.)

HISTORIA

BOMBINARUM

PARS PRIMA



Bombinae¹ sunt genus *Anurorum*², id est amphibiorum caudae expertium, quod unâ cum genere *Barbourularum*³ complectitur familiam

¹ ***bombīna**, -ae f. ital. ululone; hisp. sapo (de vientre de fuego), sapillo (de vientre amarillo); fr. sonneur, crapaud sonneur; angl. (fire-bellied) toad, (yellow-bellied) toad; theod. Unke. Originaliter hoc verbum Latinum est adiectivum, quod Carolus Linnaeus a.1761 a substantivo antiquo derivavit: “bombyx, -i m.” apud auctores antiquos ets i.q. fremitus. Linnaeus appellavit hoc amphibium, cuius zoologicum nomen modernum est “*Bombina bombina*” (angl. fire-bellied toad, theod. Rotbauchunke) “*Ranam bombinam*”. A.1816 Lorenz Oken epitheton specificum a Linnaeo confictum adhibuit ad novum genus denominandum: Itaque Oken hoc adiectivo usus est sensu substantivi.

² **Anura*, -orum n.pl., ducitur a verbis Graecis ἀν- (praefixum negativum, i.q. lat. “in-”) et ἡ οὐρά, i.q. “cauda”. Ergo hoc nomen valet “non-caudata” (sc. amphibia). Ad hunc ordinem amphibiorum praeter bombinas spectant ranae et bufones. Ordo contrarius sunt Caudata sive Urodela, in quorum numerum referuntur salamandrae et trituri.

³ *Barbourulae* sunt genus duarum tantum specierum, quae vivunt in insulis austro-orientali-asiaticis. Hae ranae appellatae sunt secundum Thomae Barbour (1884–1946), herpetologi Americani. Theodisce nominantur “Barbourfrösche”.

*Bombinatoridarum*⁴. Ratione phylogenetica Bombinae spectant ad *Anura* „inferiora“ (*Archaeobatrachia*⁵). A zoologis inter se distinguuntur quinque vel octo species huius generis. Bombinae vivunt in regionibus, quae pertingunt ab Europâ usque ad Asiam orientalem.

Notae bombinarum speciales

Morphologia bombinarum adultarum



Compara inter se partes ventrales duarum bombinarum iuvenilium:
Supra est *Bombina bombina*, infra *Bombina variegata*.

⁴ Bombinatoridae, -arum f.pl. Haec familia a.1993 ab herpetologis Ford & Cannatella taxonomicè segregata est a ceteris Discoglossidis, i.e. a generibus, quae sunt Alytes et Discoglossus.

⁵ Archaeobatrachia, -orum n.pl., theod. „Urfrösche“, est subordo anurorum primigenius.



Ecce caput *Bombinae variegatae*. Clarê apparet pupilla oculi triangularis.

Bombinae sunt perparva amphibia bufonibus similia, corporibus planis, quarum pleraeque species longitudine sunt quattuor vel quinque tantum centimetrorum. Harum bestiarum partes ventrales lineamentis sunt vehementer coloratis, quibus praedatores potentiales moneantur de *venenis* bombinarum *cutaneis*. Partes autem earum superiores solent esse colore griseo vel fusco, ut difficile agnoscantur in sŏlo limoso – etiam partes superiores *Bombinae orientalis*, quae plerumque sunt lineamentis marmoreis lucidê-viridibus nigrisque, in habitationibus eius naturalibus prosunt ad corpus occultandum. Cutis Bombinarum permultis verrucis glandulosis oblecta est, quae in *Bombinâ variegatâ* instructae sunt cuspidibus corneis.

Inter *autapomorphias* bombinarum, i.e. notas unicas atque singulares, sunt *proiecturae transversae* perquam longae *vertebrarum lumbalium*. Praeterea Bombinae cum *Discoglossis* communicant linguam rotundam, quae, cum praeter marginem angustam cum *diaphragmate oris* concreverit, exseri non potest. Aliae notae Bombinarum Discoglossorumque communes sunt octo *vertebrae praesacrales*, i.e. ante *ŏs sacrum* sitae cum *arcubus vertebrae* superioribus inter se superpositis, quorum secundus usque ad quartum fert singulum par

costarum liberum. Tales costae desunt in plerisque speciebus Anurorum (quarum sunt plus quinque milia). *Cingulum membri thoracici* est mobile, *sternum* est tantummodo cartilagineum.

Pupillae oculorum, qui inter se sunt satis propinqui, formâ sunt aut triangulari aut cordiali. *Membrana tympani* harum bestiolarum extrinsecus non apparet. *Bombinae bombinae* masculinae instructae sunt *saccis vocalibus* internis et *iugularibus*. In maxillâ et *os maxillare* et *praemaxillare* ferunt *dentes palatales*; mandibula autem est dentium expers.

Digitis Bombinarum interest basalis *membrana tensoria*; in digitis pedum hae *membranae interdigitales* sunt completae. Tempore coeundi in maribus agnosci possunt *calla nuptialia* digitis et brachiis inferioribus insita, quae sunt crassationes opacae nigraeve. Haec calla in *Bombinâ maximâ* inveniuntur etiam in pectore et in *Bombinâ variegatâ* in digitis quoque pedum mediis.

Morphologia larvarum

Larvae Bombinarum, id est *gyrini*, longitudine maximâ sunt tantâ, quantâ sunt Bombinae adultae. Itaque brevi ante metamorphosin larvae caudâ inclusâ sunt longitudine ferê quinque centimetrorum. Sicut in larvis Discoglossorum et Alytarum *spiraculum* non inest lateri trunci sinistro, sed in partis ventralis lineâ corporis mediâ; in comparatione illorum duorum gregum *spiraculum* Bombinarum situm est propinquius ad trunci partem finalem. Altus limbus pinnarum superior pertingit relativê magnam partem anteriorem et semper complectitur tertiam minimum partem ultimam trunci. Cauda est minor quam pars longitudinis trunci sesquialtera (1,5) et limbus pinnarum est lineamentis subtilibus. Gyrini *Bombinae bombinae* praeterea in parte superiore habent duas virgas lucidas longitudinales ad columnam vertebralem parallelas. Gyrini Bombinarum parum circumnatant in aquâ liberâ, sed mâlunt versari inter plantas aquaticas.

Larvae variorum Anurorum maximê inter se distinguuntur formâ *peristomatis*. In iisdem labium superius et inferius insignia sunt ordinibus denticulorum labialium et papillarum marginis oralis singulis speciebus typicarum. Bombinatoridae et Discoglossi et Alytae obstetricantes in utroque labio habent ordines denticulorum labialium bilineares. Labium superius est duplicibus ordinibus duobus, inferius tribus. Praeterea in Bombinis totum *peristoma* circumdatur *papillis marginis oralis*, cum in Discoglossis media pars labii superioris non sit papillata.

Distributio et habitationes



Bombina bombina in biotopo suo versans.

Species Bombinarum habent regionem distributionis palaeoarcticam, id est, inveniuntur et in Europâ et in Asiâ, quantum est climatis temperati. *Bombina bombina* et *Bombina variegata* (cuius posterioris sunt complures subspecies) in magnis partibus Europae et Asiae occidentalis; praecipuê *Bombina bombina* latê distributa est. Omnes aliae species Bombinarum vivunt in Asiâ orientali. Exceptâ *Bombinâ orientali*, quae usque in Russiam orientalem distributa est necnon in partibus Coreae et in Iaponiae insulis singulis invenitur, ceterae species Bombinarum non inveniuntur nisi in singulis Sinarum regionibus.

Omnes species Bombinarum habitationes praeferunt aquas stantes, quas haud libenter relinquunt per maiores distantias aut per tempus longius. *Bombina bombina* praecipuê vivit in regionibus inferioribus, quae insignes sunt climate continentali, prope aquas quietas, quales sunt minora bracchia fluviorum pristina aut prope stagna camporum queta necnon prope stagna stagnantia in regionibus ripariis inundabilibus. At *Bombina variegata* non invenitur nisi in regionibus altioribus, praesertim in montibus mediae altitudinis, ubi versatur in aquis parvis et minimis, velut in stagnis, laculis luteis, sulcis vehiculorum aquâ completis, saepe

quoque prope rivulos montanos. Species autem *Bombinarum* asiaticae etiam vivunt in aquis minoribus, plus tria milia metrorum altis.

Modus vivendi

Mores generales

Bombinae extra tempus coeundi magnam partem nocte sunt activae, si insunt populationibus integris, maiore numero inter se congregatae. Cum vivant ratione semi-aquatili, ad vitam aquariam structurâ corporis bene sunt adaptatae. Bombinae in aquis eo quiescunt, quod pedibus dilatis ad aquae superficiem fluitant, praesertim in partibus aquarum humilioribus et calidioribus. Sed quiescunt etiam ad humum ripae. Hieme incipiente se abdunt aut in cavernas aut in foramina a se ipsis suffossa, ubi rigore hiemali affectae manent usque ad ver iniens.

Propagatio prolis et ontogenesis

Voces marium nuptiales, praesertim *Bombinarum bombinarum*, perquam miram resonant quandam melancholiam, *Bombinae* autem *variegatae* mares edunt sonos campanarum similes. *Bombinae* mares coeuntes non amplectuntur feminarum regionem axillarem, sed lumbarem. Ova a *Bombinis* per glaebulas exclusiva deponuntur ad plantas aquaticas aut in fundo stagni; *Bombina orientalis* ova ad partes lapidum inferiores in fundo stagni sitorum agglutinat. Hae bestiolae ova excludere possunt per totam aestatem compluribus temporibus. Excluduntur autem semper pauciora quam centum ova.

Nutritio

Bombinae praedantes diriguntur maximam partem sensu optico; conspectis rebus mobilibus circiter 3,5 cm longis mandibulas raptim claudunt reflexu non selectivo. Bombinae adultae praecipuè insecta eorumque larvas devorant. Scilicet genera nutrimentorum variantur pro speciebus insectorum singulis locis praesentibus. Investigatores Ucrainenses in stomacho *Bombinae bombinae* invenerunt per medium 56 % larvas *Chironomorum*, 18 % varia *Coleoptera*, 3 % *Araneas* varia *Invertebrata* alia, quorum portiones plerumque fuerunt inferiores quam 1 %. In *Bombinae variegatae* autem stomacho inventa sunt *Coleoptera* (31 %), *formicae* (15 %), varia *Diptera* (14 %, quibus interfuerunt *Chironomi*) et varii greges bestiarum alii, quorum portiones fuerunt maximum 9 %. E contrario larvae Bombinarum nutriuntur praecipuè *algetis*, id est algis gregatim lapidibus aliisque structuris subaquaneis accretis. Praeterea larvae Bombinarum degluttunt quoque ova aliorum Anurorum et interdum propriae speciei necnon gyrynos minores aut debilitatos aut mortuos.



Ecce *Bombinae variegatae* inter se amplexae.



Ova *Bombinarum* solent excludi per parvulas tantum glaebas laxas – ecce *Bombinae variegatae* ova modo exclusa.

Praedatores naturales

Bombinae quamvis sint secretis cutaneis venenosis instructae, tamen devorantur a variis bestiarum speciebus, inter quos praesertim sunt serpentes, velut in Europâ *Natrix natrix* et *Natrix tessellata*. Aves Bombinarum adultarum praedatrices sunt *Ciconia ciconia* et *Ciconia nigra* et nonnullae species avium minores, quales sunt cornices, picae etc. Praeterea in Ucrainâ observatum est *Nycticoracem nycticoracem* venari *Bombinam bombinam*; illam avem hac specie Bombinarum vesci quoad portionem totius nutritionis suae, quae esset inter quinas et vicens quinas partes centesimas (5-25%). Porro erinacei et sorices haec Anura praedantur. Larvae ovaque bombinarum deglutiuntur a *Trituris cristatis* et *Ranis esculentis* et testudinibus aquaticis, velut ab *Emyde orbiculari*.

Inter animalia parasitica bombinas incolentia maximê valent vermes. Exempli gratias *Bombina bombina* invaditur a 15 minimum speciebus *Trematodorum* et octo speciebus *Nematodorum* et duabus speciebus *Acanthocephalorum*; praeterea eadem *Bombina* est hospes intermedia duarum minimum specierum *Cestodorum*. In *Bombinâ variegatâ* autem usque nunc inventa sunt duo tantum vermes parasitici – *Nematotaenia dispar*, qui est *Cestodus*, et *Acanthocephalus ranae*. In speciebus Bombinarum asiaticis nondum sunt bestiae parasiticae perquisitae. Ceterum *cannibalismus* bombinarum est descriptus, praesertim *Bombinae variegatae*. Nam larvae partim devorant ova sive larvas minores eiusdem speciei, bombinae adultae larvas.

Defensio

Bombinae si ad aquae superficiem fluitantes perturbantur, in aquam se mergunt et conantur sub aquâ aufugere. In terrâ autem si ab aggressore terrentur, *reflexu bombinarum* corpus sic mutant, ut fiat *positio lintriformis*: sic enim tollunt membra sua retorsa, ut appareat pars ventralis, quae est monitorio colore rubro aut aurancio aut flavo. Dorsa autem manuum oculis superponuntur, pedum partes superiores torquentur ad dorsum bombinae, dorsum autem est cavatum.



Ecce positio lintriformis. Qua positione terrore effecta praedatores monentur de veneno bombinarum cutaneo.

Praeterea bombinae e glandulis cutaneis secernunt liquorem, qui continet substantias irritatorias atque venenosas et appellatur „*saliva bombinarum*“. Bombina tantas copias huius liquoris fabricare potest, ut totam corporis superficiem obteget spumâ albâ. Saliva bombinarum, quae olet porrum, varias continet substantias, quibus in homine praecipuê irritantur telae mucosae oculorum nasique. Nonnullae huius spumae albae substantiae sunt venenosae, aliis cum microbia necentur corpus bombinarum a bacteriis sporisque fungorum purgatur. Partes salivae bombinarum praecipuae sunt *bombininum* (quod nuncupatum est secundum nomen genericum) et *H-peptidum bombinini* et nonnulla *peptida bombinoidea* quae sunt pro specie bombinarum varia. In *Bombinâ bombinâ* praeter bombininum inventa sunt complura *acida aminica libera* necnon magna copia *serotonini*. In *Bombinae variegatae* autem liquore secreto etiam inventum est polypeptidum quoddam haemolyticum. In liquore *Bombinae maximae* secreto biologi invenerunt *maximinum*, quod structurâ simili est ac *bombininum*. In laboratorio idem maximinum patefactum est venenum cellulare, quo possunt impugnari tumores et illud *virus humani defectûs immunitatis*, quo efficitur *morbis sidae* (i.e. AIDS).

(Altera pars sequetur)

**HISTORIAE BOMBINARUM
PARTEM PRIMAM
COMPOSUIT**

NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

MYTHI CLASSICAE ANTIQUITATIS PULCHERRIMI

Quos collectos theodiscê enarravit Gustavus Schwab, Latinê reddidit Nicolaus Groß

Liber tertius

Meleager quomodo aprum venatus sit ingentem.

Oeneus, rex Calydonis, primitias anni fecundissimi immolavit: Cereri fruges, Baccho vinum, oleum Minervae, omnique deo fructum ei gratissimum, sed oblîtus est Dianam, ut eius ara remaneret a ture vacua. De hac re dea irata constituit, ut contemptorem sui ulcisceretur. Itaque emisit aprum agros rēgis vastantem. Ardebant huius beluae oculi rubri, horrebat cervix; e gutture spumoso fulminabat, dentibus erat elephanti similibus. Sic aper pedibus pulsabat sata atque campos frumentarios; frustra exspectabatur frumentum messum in aream et fenile afferendum; uvae ab istâ bestiâ cum pampinis devorabantur, olivae cum ramis; pastores canesque pastorum greges suos, tauri contumacissimi vaccas non poterant defendere contra istud monstrum.

Tandem filius rēgis Meleager heros amplissimus surrexit et venatores atque canes collegit, ut occîderet aprum crudelissimum. Heroes totius Graeciae illustrissimi advenerunt ad venationem invitati, quibus interfuit Atalante virgo fortissima Arcadia, filia Iasonis. Quae virorum adversaria pulchra olim in silvâ exposita, a venatoribus inventa et educata, in silvâ vitam degebat et venando victum quaeritabat.

Quae venatrix omnes viros a se arcebat, et duos centauros se persecutos sagittis necaverat. Nunc amore venandi e silvâ allecta est ab heroibus congregatis. Atalante vênit capillis simplicibus in nodum coniunctis, pharetra eburnea de umeris pendeat, manu sinistrâ tenebat arcum; facies eius in pueris fuisset virginalis, in virginibus puerilis. Meleager illam pulcherrimam aspiciens secum haec locutus est: ›Felix vir, quem haec puella dignetur maritum esse suum!‹ Plura cogitare Meleagro non licuit, nam periculum erat in morâ. Grex venantium aggressus est ad arboretum stipitum pervetustorum, quod a planitie per declivitatem montis pertingebat. Viri cum hîc advenissent, alii casses posuerunt, alii canes a catenis solverunt, alii iam vestigium secuti sunt. Mox pervenerunt in vallem declivem, quae exorta erat rivis silvestribus excavantibus; iunci, gramina palustria, salicta, harundines luxuriabantur in valle infimâ. Has in latebras sus ferus se abdiderat, a canibus excitatus arboretum perrupit tamquam fulmen nubem et irâ incensus irruit medios in adversarios.



EN MELEAGRUM AUDACTER IMPETUM FACIENS IN APRUM HORRIBILEM !

Iuvenes magno clamore sublato ei obtenderunt cuspides hastarum ferreos; at aper his evitatis gregem canum perrupit. Grando telorum in eum est coniecta, sed leviter tantum vulneratus etiam iracundior factus est. Oculis ardentibus, pectore vaporante se convertit, tamquam saxum catapultâ coniectum ad dextrum latus venantium volavit et tres viros mortiferê afflictos humum arripuit. Quartus quidam, qui fuit Nestor, postea heros tam illustris, se servavit ad ramum quercûs nixus, cuius stipite aper dentes suos acuit vultu horribili. Hôc loco Castor atque Pollux fratres gemini in equis niveis sedentes aprum hastis suis ferire potuerunt, sed belua saetosa aufûgit in dumetum inaccessiblei. Nunc autem Atalante sagittam arcui impositam in bestiam iaculata est in dumetum abditam. Telo aper sub aure percussus est, et primum setae huius bestiae sanguine rubuerunt. Meleager, cum primus vulnus vidisset, iubilans idem ostendit sodalibus vocans: »Verum, o virgo, tu digna es praemio fortitudinis!« Tum cum puderet viros mulierem secum aemulari de victoriâ, omnes simul hastas suas iaculati sunt; at ipsâ hac grandine telorum impeditum est, ne bestia feriretur. Verba superba faciens nunc Ancaeus Arcadius ambabus manibus securim bipennem sustulit et lacertos vibrans in digitos pedum se constitit. At antequam vir apro ictum inferre potuit, belua ambos dentes obliquos impegit viri inguinibus, ut Ancaeus visceribus dilaceratis sanguinolentus humum delaberetur. Deinde Iason hastam suam coniecit; at eadem infeliciter in corpus Celadonis directa est. Tandem Meleager duas hastas unam post aliam

proiecit. Prima earum humo infixata est, altera medio dorso apri. Tum bestia coepit furere et circumverti. Spuma et sanguis ex apri rostro prorupti sunt, Meleager venabulo novam plâgam intulit collo, et nunc undique venabula impactata sunt corpori monstri. Aper humi prostratus moriens volvebatur per suum sanguinem. Meleager pedem capiti bestiae occisae innixus gladio pellem saetosam dorsi de corpore apri destrinxit eamque cum capite deciso, e quo enitebant ingentes dentes obliqui, obtulit Atalantae virgini Arcadiae fortissimae. »En« inquit »accipe praedam, quae de iure a me possidetur; pars gloriae tibi attribuatur!« Venatores, cum hunc honorem inviderent mulieri, obmurmuraverunt. Manibus compressis magnisque vocibus sublatis filii Thestii Meleagri avunculi ad Atalanten prodierunt. »Sine morâ« inquiunt, »depone praedam, mulier, ne surripias id quod nobis attribuendum est; alioquin neque pulchritudo tua tibi proderit neque donator amore captus!« His dictis Atalantae donum abriperunt et negaverunt Meleagro esse ius praedae distribuendae. At Meleager istud non passus est. Irâ incensus dentibus frendens clamavit: »Vos raptores meriti alieni! Discite a me, quanto differant minae a factis!« His dictis pectus unius avunculi, et, antequam is animum attendit, alterius quoque gladio percussit.

Althaea, mater Meleagri, iter faciebat ad templum, ut dies gratias ageret pro victoriâ filii, cum subito vidit corpora afferri fratrum mortua. Eadem mulier pectus plangens et lamentans properê in palatium recurrit, pro vestimentis gaudii aureis induit atra urbemque complevit lamentatione clamosâ. At cum accepisset auctorem caedis esse Meleagrum filium proprium, lacrimae Althaeae inaruerunt, maerore in cupiditatem necandi mutato subito recordata est rem, quam iam pridem oblîta erat. Nam cum Meleager paucos demum dies esset natus, Parcae apparuerant Althaeae in lecto cubanti. Una: »Filius tuus« inquit »fiet heros fortis«; altera: »vir fiet animosus«; tertia: »tam diu vivet, quamdiu lignum modo igni impositus non absumptum erit.« Vix Parcae evaserant, tum mater lignum ex igne exemit et aqua exstinxit et de vitâ filii sollicitans servavit in cubiculo omnium secretissimo. Nunc Althaea, cum sibi cupiditate ulciscendi ardenti subiisset illud lignum, properavit in cubiculum, ubi idem in receptaculo diligenter clauso condiderat. Iussit taedam imponere sarmentis et ignem accendere flagrantem. Deinde comprehendit lignum illud exquisitum. At in animo Althaeae inter se pugnabant mater et soror, in vultu eius vicissim apparebant angores pallidi et ira ruberrima; quater voluit lignum imponere flammis, quater manum retraxit. Tandem amor sororis superavit sensum maternum. »Deae poenales« inquit, »huc advertite oculos vestros, ad hanc victimam furiarum! Et vos, animi fratrum meorum, qui nuper e vitâ decessistis, sentite, quantum faciam pro vobis, vincite et accipite donum magno pretio emptum infelicem fructum corporis mei proprii! Animus mei ipsius frangitur amore materno,

necnon ipsa subsequar solacium, quod vobis missura sum«. Sic locuta oculis aversis manuque tremente lignum imposuit mediis flammis.

Meleager interim in urbem reversus victoriam et amorem et homicidium variis sensibus in mente aestuans revolvebat, cum subito inscius, unde hoc effectum esset, visceribus suis secreto ardore febrili correptis tam vehementer doluit, ut in lectum prosterneretur. Hos dolores vicit vi heroicâ; at maximê doluit sibi mortem obeundam esse ingloriam atque incruentam. Invidit sodalibus, qui mortui erant ictibus apri; advocavit fratrem, sorores, patrem senilem necnon ore gemente matrem adhuc ad ignem stantem et oculis torpidis lignum aspectantem, quod igne absumebatur. Dolor filii igne augebatur, sed cum paulatim carbo in cinere pallescenti lateret, Meleager desinebat vexari et ultimâ scintillâ evanescente animam efflavit. De eo mortuo pater et sorores lamentati sunt necnon luxit tota Calydon; mater tantum afuit. Eius corpus inventum est laqueo cervicibus iniecto ante domum prostratum, cui inspersionem erat cinis ligni combusti.

**MYTHUM MELEAGRI
A GUSTAVO SCHWAB NARRATUM
IN LATINUM CONVERTIT**

NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS
<http://www.leolatinus.com/>

FESTUM POPULARE

Fabula criminalis, quam scripsit Ferdinand von Schirach, Latinê reddidit Nikolaus Groß



Ferdinand von Schirach (a.2009)

Defensor poenalis et auctor fabularum criminalium
cfr Epistula Leonina 53, p.7-17; 54, p.4-10; 55, p.4-15

Primus dies mensis Augusti ipso hōc tempore anni nimis fuit fervidus. Celebratum est oppidi iubilaeum sescentorum annorum, aer olebat amygdalas adustas et saccharum filatum, et nidores pinguis carnis assatae capillis inhaerescebant. In plateâ oppidi erant omnes tabernulae, quae solent esse in paganalibus annuis: Rotaculum erat statutum, alii homines vehebantur autocinetis pulsatilibus, alii iaculabantur sclopetis pneumaticis. Oppidani maiores natu, qui de tempestate loquentes utebantur nominibus *tempestatis caesareae* et *dierum caninorum*, gestabant bracas coloris lucidi necnon camisias apertas.

Iidem erant viri probi, qui fungebantur probis professionibus: fabri et repraesentatores assecurationum et possessores autocinetopoliorum. In iisdem nihil erat vituperandum. Omnes ferê eorum erant uxorati, patres, vectigalia sua pecuniasque creditas solvebant et vespere spectabant nuntios televisorios. Iidem viri erant perquam frugales et nemo crediderat talia fieri posse, qualia postea sunt facta.

Qui viri erant collegii aeneatorum participes. Tubis canebant delectamenti causâ, non rerum graviorum: cum eligebatur regina vinaria, cum celebrabant sclopetatores et siphonarii. Aliquando hi aeneatores fuerant apud praesidem foederalem, cecinerant in viridario, postea iis oblata erant cervesia frigida necnon botelli. Photographema illius visitationis officialis nunc pendebat in domo collegii, ille praeses rei publicae in eodem non erat visibilis, sed aliquis iuxta photographema

agglutinauerat relationem ephemeridis, qua praesentia praesidis demonstrabatur.

Qui viri in scaenâ sedebant capillamentis barbisque agglutinatis instructi. Ab uxoribus erant pulvere odorato pigmentoque rubro fucati. Burgimagister dixerat oportere, ut musici hodie omnes essent aspectu dignissimo, »in honorem oppidi«. At non erant aspectu dignissimo. Viri ante aulaeum nigrum sudabant inebriati. Quorum camisiae corporibus adhaerebant quasi agglutinatae, olebant sudorem et alcohol, pedibus eorum interpositi erant hyali vacuefacti. Tamen tubis canebant. Cum falso canebant, hoc nihil valebat, quia auditores quoque nimium potauerant. Inter melodias applaudebatur et offerebatur recens cervesia. Cum aeneatores pausam faciebant, moderator radiophonicus imponebat phonodiscos. In tabulis ligneis scaenae praepositis pulveres excitabantur, quia adversus fervorem homines saltabant. Tum musici ibant post aulaeum, ut potarent.

Puella erat septendecim annos nata et adhuc debebat parentes certiores facere, quando apud amicum volebat pernoctare. Quae laetabatur sperans se anno peracto abiturium superaturam esse, deinde fore, ut Berolini aut Monaci studeret medicinae pernoscendae. Haec puella erat bella, facie apertâ, oculis caeruleis, ea libenter aspectabatur et munere copae fungens ridebat. Corollarium cum ei offerretur bonum, volebat in feriis magnis cum amico iter facere per Europam.

Tempestatas erat tam fervida, ut puella praeter bracas genuenses nihil gestaret nisi albam camisiam t-formem et perspicillum solare et taeniam viridem, qua capilli retinebantur. Unus e musicis vênit ante aulaeum, puellae annuit hyalum manui suae impositum indicans. Puella aream saltatoriam transiit perque quattuor gradûs ascendit ad scaenam, ferculum aequilibrabat, quod ponderosius erat, quam gereretur manibus eius gracilibus. Vir ille capillamento genisque albatis puellae visus est ridiculus. Illum subrisisse, hoc postea recordata est, illum virum subrisisse illiusque dentes sibi visos esse flavos, quia facies illius fuisset alba. Aulaeo seposito ille puellam sivit ire ad ceteros viros, qui in duobus scamnis cervesiariis sedentes sitiebant. Per momentum temporis miro candore illuxit puellae alba camisia t-formis, quam si gesserat, amicus semper magnopere delectatus erat. Deinde puella delapsa est. Retro cecidit, non doluit, sed cum ex hyalis cadentibus cervesia in se profileretur, puella madefacta est. Camisia t-formis facta est pellucida. Puella, quia sibi odiosum erat, quod non gerebat strophium, risit, et deinde aspectavit viros, qui subito obmutescentes eam aspectaverunt oculis torpidis. Primus manum porrexit in puellam, et deinde facinus incohatum est fatale. Aulaeum denuo clausum erat, per megaphonum

clamata est cantilena *Michaelis Jackson*, et rhythmus areae saltatoriae factus est rhythmus virorum, ita ut postea nemo aliquid posset explicare.

Astyphylaces nimis sero advenerunt. Qui non crediderant illi viro, qui e cellulâ secum telephonerat. Qui dixerat se esse collegii aeneatorum, nomine suo indicto. Astyphylax, qui hoc telephonema acceperat, collegam certiozem fecit, sed omnes putaverunt hoc esse iocosê tantum dictum. Nemo nisi astyphylax minimus natu dixit se rem velle explorare et viâ transitâ iit ad plateam festivam.

Sub scaenâ erant tenebrae et umores. Ibi puella prostrata erat, nuda et limo iniecta, madida spermate, madida lotio, madida sanguine. Puella neque locuta est neque mota. Duae costae eius fractae erant et brachium sinistrum et nasus, hyalis lagoenisque cervesiae diffractis dorsum et brachia erant incisa. Cum rem finivissent, viri tabulâ scaenae sublatâ puellam sub scaenam deiecerant. In puellam ibidem infra prostratam minxerant. Deinde redierant in partem scaenae anteriorem. Dum astyphylaces puellam e limo trahunt, viri canebant saltationem Bohemicam.

»Defensio est pugna, pugna de iuribus hominis accusati facienda.« Hanc sententiam continebat libellus quidam rubro involucro plastico ornatus, quem illo tempore semper mecum gerebam. Qui erat »Libellus palmaris defensoris poenalis«. Examen alterum modo superaveram nonnullisque septimanis ante ad patronatum admissus eram. In illam sententiam credidi. Cogitavi me scire, quid illa valeret.

Quidam commilito studiorum mecum telephonans interrogavit, num vellem particeps fieri defensionis alicuius, adhuc requiri duos patronos. Scilicet me voluisse, cum ageretur de primo meo casu maiore, ephemerides abundabant relationibus de eodem scriptis, et ego credidi fore, ut vitam meam futuram degerem tales casûs tractans.

In causâ poenali nemo debet demonstrare suam innocentiam. Nemo debet loqui, ut se defendat, nemo nisi accusator debet proponere indicia. Itaque haec fuit ratio nostra defendendi: Necesse erat omnes reos tacere. Plura nobis non erant facienda.

Illo tempore coram iudiciis nondum diu licuit adhibere analysin ipsius ADN. Astyphylaces vestimenta puellae in nosocomio accepta infererant sacco purgamentorum caeruleo. Quem imposuerunt autocineto officiali, ut afferretur ad institutum medicinae forensis. Astyphylaces putaverunt se omnia rectê facere. Autocinetum stabat sole irradiatus, horam de horâ, et in fervore sub folio plastico luxuriabantur mucres atque

bacteria, quibus mutata sunt vestigia illius ADN, ut a nemine iam possent perquiri.

Medici autem puellam servaverunt, destruxerunt indicia ultima. Puella posita erat in mensâ operatoriâ, eius cutis purgabatur. Vestigia auctorum facinoris in puellae vaginâ et ano et corpori eius adhaerentia sunt detersa, nemo de ullâ re cogitavit nisi de vitâ puellae servandâ. Multo post astyphylaces et medici forenses urbis principalis conati sunt purgamenta oeci operatorii invenire. Aliquando desperaverunt, sederunt horâ tertiâ matutinâ in popinâ nosocomii ante pocilla lucidê-fusca, quae erant cafeâ percolatâ frigidâ completa, fatigati et explicationis expertes. Nosocoma aliqua dixit ut domum abirent.

Mulier iuvenis nescivit dicere, qui viri facinus commisissent, illos nescivit unum ab alio dinoscere; fucati et capillamento induti omnes eiusdem fuerant aspectûs. Cum viris recognoscendis opponeretur, primo noluit illos aspectare, sed animo denique capto neminem recognovit. Nemo scivit, qui vir cum astyphylacibus telephonavisset, sed manifestum erat unum ex illis hoc fecisse. Ergo unusquisque singulus poterat esse ille, qui telephonaverat. Octo erant in culpâ, sed omnis eorum poterat esse ille innocens.

Is vir erat macer: facie mucronatâ, perspicillo aureo, mento proiecto. Illo tempore adhuc licuit fumare in cellis custodiarum publicarum, ille vir fumavit sigarella innumera. Dum îdem loquebatur, in oris angulis oriebatur saliva, quam detergebat mucinnio. Qui vir iam per decem dies custodiae inerat, cum primo a me visus est. Haec condicio cum mihi haud minus esset nova, viro nimis fusê explicavi iura eius et rationem, quae intercederet inter mandatorem et patronum, parum certus, quid mihi dicendum esset, explicavi talia, qualia insunt libris didacticis. Ille narravit de uxore suâ duobusque filiis, de officio suo gerendo, tandem de festo populari. Vir dixit tempestatem fuisse nimis fervidam, se nimium potavisse cervesiae. Se nescire, quare haec omnia facta essent. Haec fuerunt omnia quae dixit – tempestatem fuisse nimis fervidam. Numquam ex illo quaesivi, num particeps fuisset facinoris committendi, hoc scire nolui.

Patroni in deversorio ad forum oppidi sito habitaverunt. In cauponâ deversorii de actis iudicialibus disputavimus. Iis infuerunt photographemata mulieris iuvenis, corporis deformati, faciei tumidae. Tales imagines numquam videram. Verba mulieris erant magis vaga et obscuriora, quam ut animo fingi posset, quomodo facinus esset commissum, et omnem paginam actorum legens sentiebam, quanta ira

fuisset, ira astyphylacum, ira actoris publici, ira medicorum. At hoc nihil profuit.

Mediâ nocte in conclavi meo telephorum tintinnavit. Auscultabulo sublato nihil audivi nisi spiritum alterius, qui nihil loqueretur. Qui non elegerat numerum falsum. Ego autem audivi illum respirantem, dum auscultabulum deponeret. Audivi per longum tempus.

Iudicium municipale, quod situm erat ad eandem plateam ac deversorium, fuit aedificium genere constructionis classicistico constructum, parvis scalis liberis instructum; cuius aspectu quodammodo praedicabatur magnitudo rei publicae iuridicae. Clarae erant oppidi cellae torculariae, mercatores atque vinitores hic vivebant, in regione felici, quae bello semper erat intacta. Hac in regione omnia splendebant dignitate atque probitate. Aliquis gerania collocaverat in fenestrarum crepidinibus.

Iudex nos unum post alium in conclave suum vocavit. Ego gerebam vestimentum iudiciale, quia nescivi, quibus temporibus patrono esset idem gerendum. Cum examen detentionis incoharetur, nimis multa loquebar, ut solet loqui patronus iuvenis sentiens omnia esse meliora quam tacere. Iudex nihil fecit nisi mandatorem mei aspectavit, non puto eum attendisse ad verba mea. At iudex illum virum aspectans mente revolvebat rem, quae multo antiquior erat quam ordo noster causarum iudicialium, accusationem, quae nullo modo spectabat ad lēges scriptas. Cum finivissem, iudex iterum rogavit, num ille vir vellet tacere. Iudex hoc rogavit submissê et sine accentu verborum, perspicillum lectorium complicans et exspectans. Iudex responsum noverat, tamen interrogavit. Nos autem omnes in conclavi iudicali frigidulo versantes scivimus responso dato causam finitum iri et culpam esse rem omnino aliam.

Postea in androne exspectavimus, quid decreturus esset iudex instructor. Nos fuimus novem defensores, ille mihi nôtus et ego fuimus natu minimi. Nos ambo hanc causam suscepturi novas syntheses vestium emeramus. More patronorum iocabamur, ne re tractandâ nimis afficerentur animi nostri, et ego nunc particeps fui totius rei. In androne extremo astyphylax ad parietem nixus erat crassus et fatigatus et nos aspernabatur.

Post meridiem iudex mandata detentionis sustulit dicens culpam demonstrari non posse, quia inculpati tacuissent. Quod decretum e folio recitavit, quamquam ex duabus tantum sententiis constabat. Postea silentium fuit. Defensio erat rectê facta, sed nunc nescivi, num mihi surgendum esset, usque dum protocollatrix decretum mihi tradidit et nos

conclave reliquimus. Iudex non potuerat rem aliter diiudicare. Andron olebat linoleum et iudicialia acta detrita.

Viri sunt dimissi. Qui exierunt per ianuam posticam, redierunt ad uxores et liberos et ad vitam suam. Perrexerunt pendere vectigalia pecuniasque creditas, liberos mittebant ad scholam, neque ullus eorum de re factâ aliquid dixit. Tantummodo collegium aeneatorum est dissolutum. Causa iudicialis numquam est facta.

Ante iudicium municipale stabat pater mulieris iuvenis, stabat mediis in scalis, cum nos eum praeteriremus parte sinistrâ et dextrâ, nemo eum tetigit. Qui nos aspectavit oculis diffletis, facie bonâ. De curiâ ex adverso sitâ adhuc pendeat toechocollema, quo sollemnitas oppidi erat annuntiata. Patroni maiores natu collocuti sunt cum diurnariis, microphona fulgebant tamquam pisces sole irradiati, et post ea pater consedit in gradibus aedificii iudicialis et caput bracchiis interposuit.

Examine detentionis finito unâ cum amico universitario ii ad stationem ferrivariam. Potuimus colloqui de victoriâ defensorum aut de Rheno orbitas ferrivarias praeterfluente aut de quavis aliâ re. At sedebamus in scamno ligneo, cuius pigmentum segmina faciebat, et neuter volebat aliquid dicere. Scivimus nos amisisse innocentiam nostram idque nihil valere. Necnon in tramine iuxta chartophylacia nostra vix adhibita sedentes novis vestium synthesibus induti tacuimus, et domum vehentes cogitavimus de illâ puellâ illisque viris probis nec unus alterum aspectavimus. Nos adoleveramus, et escendentem scivimus res nobis numquam fore tam simplices quam fuissent.

Haec fabula, cuius titulus originalis est „Volksfest“, invenitur in libro, quem scripsit Ferdinand von Schirach: „SCHULD – Stories“. Ungekürzte Taschenbuchausgabe. München (Piper Verlag) 2012, p.7-18.

**NARRATIONEM, C.T. »VOLKSFEST«
A FERDINANDO DE SCHIRACH SRIPTAM
IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS**



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

VOCABULA RARIORA ET RECENTIORA

Significatio verborum indicatur hoc ordine linguarum: lingua theodisca (i.e. originalis) – anglica – francogallica – hispanica – italica.

***abitūrium**, -iī n. *Abitur; ≈ A levels (britannice) ≈ Highers (scotice), high-school diploma (americane); baccalauréat; bachillerato; maturità.*

ācta iūdiālia n.pl. *Akten; file, record; document; acta, expediente, dossier; casellari giudiziari.*

āctor pūblicus *Staatsanwalt; district attorney (americane), public prosecutor (britannice); avocat général; fiscal; procuratore.*

ADN = acidum dysoxyribonucleīnicum *DNS = Desoxyribonukleinsäure; DNA = desoxyribonucleic acid; ADN = ácido desoxirribonucleico; DNA = acido desossiribonucleico* o *deossiribonucleico.*

aēneātor, -ōris m. *Bläser, Blasmusiker; wind player; joueur (-euse) m (f) d'instrument à vent; instrumentalista de viento; suonatore (-trice) (di strumento a fiato).*

agglūtīnō, -āre *ankleben; to stick up; coller, afficher; pegar, colar; appiccicare, incollare.*

+alcohol, -ōlis n. *Alkohol; alcohol; alcool; alcohol; alcool.*

andrōn, -ōnis m. *Flur, Gang; corridor, hallway; couloir, corridor; pasillo; andito.*

angulus ōris *Mundwinkel; corner of one's mouth; commissure des lèvres; comisura de los labios; angolo della bocca.*

ārea saltātōria *Tanzfläche; dance floor; piste de danse; pista de baile; pista da ballo.*

***astyphylax**, -acis m. *Wachtmeister, Polizist; policeman; brigadier; guardia, policía; poliziotto, vigile.*

***auscultābulum**, -ī n. *Hörer (Telefon~); receiver; récepteur; auricular, audífono; ricevitore.*

***autocīnētopōlium**, -iī n. *Autohaus; car dealership; concessionnaire de voitures; concesionario; autosalone.*

***autocīnētum**, -ī n. *Auto; car; voiture; auto; macchina.*

***autocīnētum +pulsātīle** *Autoscooter; dodgem car, bumper car; auto-tamponneuse; carro chocón; autoscontro.*

***bactērium**, -iī n. *Bakterium; bacterium; bactérie; bacteria; batterio.*

Berolīnum, -ī n. *Berlin (urbs Germaniae principalis).*

botellus, -ī m. *Würstchen; sausage; saucisse; salchicha; salsiccia.*

brācae genuēnsēs *Jeans; jean; pantalón vacquero, pantalón tejano, vaqueros; jeans.*

+burgimagister, -trī m. *Bürgermeister; mayor; maire; alcalde; sindaco, borgomastro.*

cafea percōlāta *Filterkaffee; filter coffee, drip brew (americane), drip coffee (americane); café filtre; café de filtro; caffè preparato con il filtro.*

camisia t-fōrmis *T-Shirt; teeshirt; t(ee) shirt; camiseta, playera; maglietta.*

capillāmentum, -ī n. *Perücke; wig, rug (americane); perruque; peluca; parrucca.*

cervēsia, -ae f. *Bier; beer; bière; cerveza; birra.*

***chartophylacium**, -iī n. *Aktentasche; brief case, portfolio, brief bag; porte-documents; maletín; cartella, valigetta.*

collēgium aēneātōrum *Blaskapelle; brass band; fanfare, orphéon; banda, charanga; orchestra di strumenti a fiato.*

cōpa, -ae f. *Kellnerin; waitress; serveuse; camarera; cameriera.*

corollārium, -iī n. *Trinkgeld; tip; pourboire; propina; mancia.*

dēfēnsor poenālis *Strafverteidiger; counsel, trial lawyer, criminal attorney, public defender (americane); criminal barrister (britannice); criminal defense lawyer (americane), criminal defence lawyer (britannice); avocat(e) du pénal; abogado defensor; avvocato difensore.*

dēversōrium, -iī n. *Hotel; hotel; hotel; hotel; hotel, albergo.*

diēs canīnī *Hundstage; dog days (of summer); canicule; caniculares; canicola, solleone.*

diffletus, -a, -um *verweint; tear-swollen; gonflé de larmes; hinchado de lágrimas; gonfio di lagrime*. cfr APUL.met.1,6 *At vero domi tuae iam defletus et conclamatus es, liberis tuis tutores iuridici provincialis decreto dati, uxor persolutis inferialibus officiis luctu et maerore diuturno deformata, diffletis paene ad extremam captivitatem oculis suis, domus infortunium novarum nuptiarum gaudiis a suis sibi parentibus hilarare compellitur.*

ephēmeris, idis f. *Zeitung; newspaper; journal; periódico; giornale.*

exāmen dētentiōnis *Haftprüfung; review of remand (in custody), detention review; examen de la validité de la détention; revisión del encarcelamiento; riesame della detenzione.*

ferculum, -ī n. *Tablett; tray; service; bandeja; vassoio.*

folium plasticum *Plastikfolie; plastic foil, plastic sheet; film plastique, pellicule plastifiée; papel plástico; carta plastificata.*

fūmō, -āre *rauchen; to smoke; fumer; fumar; fumare.*

genus cōstrūctiōnis *classicisticum *Klassizismus, klassizistischer Baustil; classicism; classicisme; clasicismo; classicismo.*

hyalus, -ī m. *(Trink)glas; tumbler, drinking glass; verre; vaso para beber; bicchiere.*

inculpō, -āre *beschuldigen; to blame, to accuse, to allege; accuser, incriminer; acusar, culpar; accusare, incolpare.*

iūdex īnstrūctor *Untersuchungsrichter, Ermittlungsrichter; investigating judge; juge d'instruction; juez (a) instructor(a); giudice istruttore.*

iūdicium mūnicipāle *Amtsgericht; local court, district court, county courthouse; tribunal d'instance, tribunal d'arrondissement; juzgada de primera instancia y instrucción; juzgado municipal; pretura, procura circondariale.*

lagoena, -ae f. *Flasche; bottle; bouteille; botella; bottiglia.*

liber didacticus *Lehrbuch; teaching book; manuel; manual; libro d'insegnamento.*

liber palmāris *Taschenbuch; paperback, pocketbook; livre de poche; libro de bolsillo; libro tascabile.*

***linoleum**, -ei n. *Linoleum; linoleum; préart; linóleo; linoleum.*

lōtium, -iī n. *Urin, Harn; urine; urine; orina; urina, orina.*

lūcidē-fuscus *hellbraun; tan, fawn, light brown; marron clair, châtain clair; marrón claro; marrone chiaro.*

mandātor, -ōris m. *Mandant; client, principal; mandant; mandante, cliente; mandante.*

mandātum dētentiōnis *Haftbefehl; warrant, mittimus, arrest warrant, detention order, warrant of arrest, writ of arrest, writ of attachment, order of commitment, warrant of commitment; mandat d'arrêt, mandat de dépôt; orden de detención, orden de arresto; ordine di cattura.*

medicus forēnsis *Gerichtsmediziner; coroner (americane), forensic doctor; médecin légiste; médico forense; medico legale.*

***megaphōnum**, -ī n. *Megaphon; bullhorn (americane), megaphone, loudhailer; porte-voix, mégaphone; megáfono; megafono.*

mēnsa operātōria *Operationstisch; operating table, surgical table; table d'opération; mesa de operaciones; tavolo operatorio.*

***mīcrophōnum**, -ī n. *Mikrophon; microphone; microphone; micrófono; microfono.*

Monacum (Bavarōrum) *München (urbs Bavariae principalis).*

mūcinnium, -iī n. *Taschentuch; handkerchief; mouchoir; pañuelo (de mano); fazzoletto.*

mūcor, -ōris m. *Schimmel; mould (britannice), mold (americane); moisi, moisissure; moho; muffa.*

mucrōnātus, -a, -um *spitz; pointed; pointu; puntiagudo, agudo; appuntato.*

nīdor, -ōris m. *Dunst; smell, fumes; exhalaison, vapeur, fumée; vapor, vaho; vapore, fumo.*

nosocoma, -ae f. *Krankenschwester; nurse; infirmière; enfermera; infermiera.*

nosocomīum, -iī n. *Krankenhaus; hospital; hôpital; hospital, clínica; ospedale.*

nūntius *tēlevīsōrius *Fernsehnachrichten; TV news; journal télévisé; noticias de la televisión; telegiornale.*

oecus operātōrius *Operationssaal; operating theatre (britannice), operating room (americana); salle d'opération; quirófano; sala operatoria.*

orbita *ferriviāria *Bahngleis; rail; voie ferrée; carril; binario.*

pāgānālia annua *Jahrmarkt; (fun-)fair; foire; feria anual; fiera.*

perspicillum, -ī n. *Brille; glasses; lunettes; gafas; occhiali.*

perspicillum lēctōrium *Lesebrille; reading glasses; lunettes de lecture; gafas para leer; occhiali da leggere.*

perspicillum sōlāre *Sonnenbrille; sun glasses; lunettes de soleil; gafas de sol; occhiali da sole.*

***phōnodiscus**, -ī m. *Schallplatte; record; disque; disco; disco.*

phōtographēma, -atis n. *Foto; photo; photo; foto; foto.*

popīna nosocomī *Krankenhauskantine; hospital canteen; cantine de l'hôpital; comedor hospitalario; cantina di ospedale.*

praesēs foederālis *Bundespräsident; federal president; président de la république fédéral; presidente de la república federal; presidente della repubblica federale.*

proiectus, -a, -um *vorspringend (Kinn); prominent/ projecting (chin); saillant; prominente; prominente.*

+prōtocolātrīx, -īcis f. *Protokollantin; recorder (female); greffière; actuario; protocollista (f.).*

pulvis odōrātus *Puder; powder; poudre; polvo; cipria.*

***radiophōnicus**, -a, -um *Radio//; radio//; radio//; radio//; radio//.*

rēgīna vīnāria *Weinkönigin; wine queen; reine du vin; reina del vino; reginetta del vino.*

rotāculum, -ī n. *Karussell; roundabout, merry-go-round (britannice), carrousel (americana); carrousel; carrusel; carosello, giostra.*

repraesentātor assēcūrātiōnis *Versicherungsvertreter; insurance company representative, insurance agent, insurance salesman, insurance canvasser; assureur; agente de seguros; agente assicurativo, agente di assicurazione.*

saccharum filātum *Zuckerwatte; cotton candy, candy floss, fairy floss; barbe à papa, barbe-à-papa; algodón dulce, algodón de azúcar; zuccherò filato.*

cfr Georges, Ausführliches lateinisch-deutsches Handwörterbuch, 14. Auflage, Hannover 1976, t.1, col.2762: filo, -are in Fäden ziehen. lanam filare. ARNOB.iun.confl.2,22 – übtr., VEN.FORT.vit.S.Mart. 3,112.

salīva, -ae f. *Speichel; saliva; salive; saliva; saliva.*

saltātiō Bohēmica *Polka; polka; polka; polca; polca.*

***sclopētātor**, -ātōris m. *Schütze; shooter, gunman; tirador; tiratore.*

+sclopētum pneumaticum *Luftgewehr; air gun, air rifle; tireur; escopeta de aire comprimido; fucile ad aria compressa.*

***sigarellum**, -ī n. *Zigarette; cigarette; cigarette; cigarillo; sigaretta.*

siphōnārius, -īī m. *Feuerwehrmann; fireman; pompier; bombero; pompiere.*

sperma, -atis n. *Sperma; sperm; sperme; esperma; sperma.*

statiō *ferriviāria *Bahnhof; railway station; gare; estación de trenes; stazione.*

strophium, -īī n. *BH (= Büstenhalter); bra; soutien-gorge; sostén; reggiseno, reggipetto.*

synthesis vestium *Anzug; suit; costume; traje, vestido; completo, abito.*

***tēlephōnēma**, -atis n. *Telefongespräch; phone call; conversation téléphonique, communication téléphonique; conferencia telefónica; colloquio telefonico.*

***tēlephōnō**, -āre *telefonieren; to make a phone call; téléphoner; telefonar; telefonare.*

***tēlephōnum**, -ī n. *Telefon; phone; téléphone; teléfono; telefono.*

tempestās caesarea *“Kaiserwetter”; magnificent sunshine, glorious/ sunny weather; temps royal; ---; ---.*

***toechocollēma**, -atis n. *Plakat; poster; affiche; cartel; manifesto, cartello.*

***ūniversitārius**, -a, -um *Universitäts//; university//; universitaire, de l'université; universitario; universitaro.*

viridārium, -iī n. *Park, Garten; park, garden; parc, jardin; parque, jardín; parco, giardino.*

**VOCABULA RARIORA ET RECENTIORA,
QUAE SPECTANT AD
NARRATIONEM, C.T. »VOLKSFEST«
A FERDINANDO DE SCHIRACH SRIPTAM
COLLEGIT
NICOLAUS GROSS**



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

VOCES & ECHÛS

URBANO DO SANTOS FERREIRA BRASILIANUS

25.06.2014 17:19

Ave, Leo Latine,

Ego sum Urbanus Ferrarius, duodequadragesima annorum. Vivo Brasiliapoli in urbe, ubi et natus sum. Ab anno 2002, Latine doceo in Seminario Brasiliapolitano. Bene audivi de te, quod peritissimus sis Linguae Latinae.

Iam ab adolescentia, cum quindecim annos haberem, coepi Linguae Latinae operam dare. Modo, auctoribus quibusdam collegis, scribo librum, quem volo venturo anno, si Deus voluerit, in lucem edere. Non tamen de grammaticorum praecipis, verum de usu sermonis in vita quotidiana, exempli gratia, in itineribus, in popina, in aeroportu et in aliis locis et condicionibus.

Plurimum mihi adiutorio sunt EPHEMERIS, EPISTULA LEONINA, LATINITAS et scripta maiorum, ut Ciceronis, Caesaris, Senecae, Augustini et aliorum. Aliquando scribo in Vicipaedia, ubi plurima verba optimae qualitatis colligi possunt. Sed haud semper verba, quibus mihi opus est, facilia sunt inventu.

Quaero utrum possis me adiuvere necne. Puto enim novum librum fauturum esse Linguae Latinae et in Brasiliapoli et in Brasilia.

Vale. Urbanus

10.7.2014 23.13 h Nomina hominum

Urbanus Leoni Latino salutem.

Ave, Leo Latine,

Quaero a te utrum sit forma Latina pro nominibus "Washington", "Weber" et "Wellington".

Inter nos sunt quidam discipuli, qui his nominibus appellantur.

Bene vale.

Brasiliapoli, Iovis die, VII Idus Iulias, MMXIV a.D.

Urbanus

Responsum d.21. m.Iul.

LEO LATINUS URBANO FERRARIO SAL.PL.DIC.

S.V.B.E.E.V.

Care Urbane,

habeas me excusatum, quod variis negotiis districtus sero tibi rescribo. Sed dilatum non est sublatum. Valde gaudeo te in patria tua Brasilia tam naviter operari ad Latinitatem propagandam. Tibi gratulor de opere incohato, quod omnibus Latinitatis amicis fructuosum fore bene spero. Ipse ex multis iam annis incumbo in lexicon theodisco-latinum componendum. Saepe in Epistula Leonina publico vocabula rariora et recentiora. Libenter te adiuvabo, quantum potero.

Quod attinet ad tria illa nomina gentilicia ad latinam formam redigenda, unum facile est redditu: "WEBER" est frequens nomen gentilicium theodiscum, quod valet fabrum textorem. Appelletur ille discipulus TEXTOR; tale nomen Latina quoque forma haud raro invenitur in Germania.

"WASHINGTON" et "WELLINGTON" sunt nomina virorum illustrium propria; displicent quidem formae a pronuntiatu et orthographia Latina abhorrentes, sed non est consentaneum eadem nomina ita mutare, ut lateat vis propria. Georgius Washington in vita Latine scripta (a.1835) a Francisco Glass dicitur "Washingtónius"; G. "Washingtonii", D. "Washingtonio", Acc. "Washingtonium", Abl. "Washingtonio". Forma casus vocativi est "Washingtóni".

Similiter dicamus alterum virum, qui praedicatur propter virtutem suam bellicam: “Wellingtónius”.

Haec hactenus. Care Urbane, pancratice vale et perge mihi favere.

Medullitus te salutat

LEO LATINUS

MARCO CRISTINI ITALUS

Am 24.06.2014 19:55, schrieb Marco Cristini:

Marcus Cristini Nicolao Groß s.p.d.

Care Nicolae,

in *Epistula Leonina* LXXVII lepidam sententiam legi, "*Nemo scit - ut ait Livius - quid serus vesper vehat*". Ego sententiam hanc (*Nescis quid serus vesper vehat*) in M. Trentii Varronis *Saturis Menippeis* (LVII), vel in Gellii *Noctibus Atticis* (XIII, 11) legi. Estne sententia haec etiam in Livio? Optime vale Marcus Cristini

d.24. m.Iun. 2014 10:00 h

Care Marce,

recte me mones! Per errorem Livium dixi esse auctores huius proverbii. Gratias tibi ago pro attentione tua. Ceterum valde doleo, quod photographema tuum leoninum, si a me ad formam pdf redigitur, ita dissolvitur, ut colores permisceantur. Quid faciamus? Medullitus te salutat Nicolaus Groß

25.06.2014 10:43

Care Nicolae,

photographemata programmatibus GIF, PNG, TIF et JPG servata tibi iterum mitto. Si difficultates adhuc manent, potestne mihi scribere, programme quo tu uteris ad photographemata legenda? Sic conabor photographemata programme tuo servare.

Optime vale Marcus Cristini

Responsum d.21. m.Iul.

Care Marce,

summas gratias pro photographematibus subtilissime praeparatis. Valde placent mihi studia tua Latina; legi quoque narrationem, quam in “Melissa” publicasti. Pergas, quaeso, litteras Latinas thesauris tuis ditificare.

Medullitus te salutat

Nicolaus Groß

LEO LATINUS

GUILELMUS ERICKSON

d.26 m.Iun. 08.17 h

Gulielmus Erickson Leoni Latino s.p.d.:

Tandem ad te scribo ut gratias summas diuque debitas tibi agam propter tempus ac operam a te Epistulis Leoninis datam. Maxima afficior laetitia quandocumque nova talis epistula editur, quam ut perlegam omnia alia agenda posthabere soleo. Peritia mea latine scribendi licet adhuc multum deficiat, tamen per epistulas tuas in dies legendas, et multo citius intellegere textus latinos potui, et innumera nova didici vocabula, quapropter gratias sinceras tibi iam habeo.

Habesne in animo olim omnia nova vocabula, quae hactenus in epistulis collegisti, uno libro, sive electronico sive chartaceo, divulgare? Certe ego talem librum emam si umquam tempus

tibi adsit ad componendum. Sin minus, tamen semper gratissimae mihi erunt -- et perutiles manebunt -- eae epistulae tuae in quibus iam tot vocabula inveni et edidici.

Omnia optima quaeque et Dei benedictionem tibi exopto. Nescio an semper sim valiturum, scio autem me semper tibi favere perrecturum. Vale!

Gulielmus Erickson

P.S. Vae, oblitus sum "ac" non esse dicendum ante vocales, ergo "atque operam" pro "ac operam" dixissem. Ignosce quaeso mihi.

Responsum d.21. m.Iul.

LEO LATINUS GUILIELMO ERICKSON SAL.PL.DIC.

Care Guilelme,

Summas gratias tibi ago pro litteris tuis perhumaniter scriptis. Miror autem, quod non scripsisti, e quo angulo terrarum scriberes. Videris more Senecano esse civis mundanus esse. Vehementer gaudeo te helluari Epistulis leoninis legendis.

Ex tribus iam decenniis colligo vocabula rariora et recentiora confingoque, si desunt, nova secundum exempla antiqua et romanica et neograeca. In animo habeo lexicon divulgare; etiam in hac Epistula, quam nunc legis, inest index verborum.

Vale semper, mi care Guilelme, et perge mihi favere!

Medullitus te salutat

Nicolaus Groß

LEO LATINUS

CORRIGENDA (EL 77, p.26, lin.11sq.):

quam clare atque polite textum Grimmianum in Latinum transtuleris! (non: transtulisti).

**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUODECTOGESIMAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

Die Lunae, d.21. m.Iulii. a.2014

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>